



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De illo cui Sacerdos indiscretus imungit pœnitentiam paruam. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

seunt ad vitam, etsi inexplata fuerit pœnitentia: quia perfecte pœnituerunt & ingemuerunt corde. Qui vero non a deo conteruntur corde & ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauius puniẽtur, quam si hic impleissent pœnitentiã.

Horrendum est n. incidere in manus Dei viuẽtis. *Heb. 10. f*

Deus n. cum sit misericors & iustus, ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reseruans peccatũ ad pœnam æternam. Ex iustitia vero impunitum nõ dimittit delictum. Aut n. punit homo, aut Deus.

Homo a. punit pœnitendo, Deus autem pœnam exigendo. Et est pœnitentia interior, & exterior. Si ergo interior pœnitudo fuerit tanta, vt sit sufficiens vltio peccati, Deus qui hoc nouit, ab illo qui taliter pœnitet, vltorius pœnã non exigit. Si vero interior pœnitudo non sufficit in vindictã peccati, nec exterior pœnitẽtia impletur: Deus qui modos & mensuras peccatorũ & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientẽ. Studeat ergo quisq; sic delicta corrigere, vt post mortẽ non oporteat pœnam tolerare. Quzdam n. peccata mortalia, in pœnitẽtia sunt venialia: non tamen mox sanantur. Sæpe n. infirmus moreretur, si non medicaretur: non tamen statim medicatus sanatur. Languet post vlturus, qui prius erat moriturus. Qui autẽ impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur. Si n. semper viueret, semper peccaret. *Aug. de vera & falsa pœnitent. ca. 18. in tom. 4.*

De illo cui sacerdos indiscretus iniungit paruã pœnitentiã. C

Si vero illo queritur, qui satisfactionẽ iniunctã impleuerit, quæ ignorãtia vel negligẽtia sacerdotis, peccato cõdigna non fuit: vtrũ de vita migrãs, ab omni pœna liber sit? Idẽ respondeo, quod supra *Lug. 23. f* de illo qui pœnitentiã non compleuit, dixi. Quod si tantũ est lamentũ interioris doloris, vt sufficiat in vindictã peccati, omnino liberatus est: vero nõ sufficit dolor interior simul cũ pœna iniuncta, ad-

det Deus poenam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone: qui sola mentis contritione & confessione statim ut conuersus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia dispensatores Ecclesiae, contritionis quantitatem non perpescunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium: omnibus leges poenitentiae constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc praecipue tendere debet, ut cordis dolorem, quantum fas est cognoscant, & secundum ipsius modum satisfactionem iniungant. Vnde Aug. In actione poenitentiae, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quaecumque signa procedit: cum sit coram illo, cui dicitur, Gemitus meus a te non est absconditus: recte constituuntur ab his, qui Ecclesiae praesunt tempora poenitentiae: ut satisfaciatur et Ecclesiae in qua peccata ipsa remittuntur: extra eam quippe non remittuntur. Ipsa enim Spiritus Sancti pignus accepit: sine quo non remittuntur vlla peccata. Item Hier. Mensuram temporis in agenda poenitentia, ideo non satis aperte praefigunt canones pro vnoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter vnumquodque emendandum sit: sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuerunt, quia apud Deum non tantum valet mensura temporis, quantum doloris, nec abstinentia tantum ciborum quantum doloris, nec abstinentia tantum ciborum quantum mortificatio vitiorum, Ideoque tempora poenitentiae pro fide & conuersatione fidelium poenitentium abbrevianda praecipiunt, & pro negligentia prorelaxanda, pro quibusdam tamen culpis modi poenitentiae sunt impositi.

In Ench. ca.
65. in to. 3.

Psal. 50.

Psal. 37.

De poen. di.
1. c. mensuram.

Quod